

8976.

1371 december 3.

Avignon.

(Påven Gregorius XI) tillskriver officialen i Linköping. Eftersom ett kanonikat och en prebenda vid Strängnäs domkyrka är vakanta, vilka (ärke)biskop Birger (Gregersson) i Uppsala innehade vid tiden för sin befordran till Uppsalakyrkan genom utfärdarens företrädare påven Urban V och vilka är reserverade för påvens kollation och disposition, uppdrar denne åt brevmottagaren att överlåta kanonikatet och prebendan åt Olof, kallad "Biruid", präst i Strängnäs stift och drottning Margaretas av Sverige notarie. Brevmottagaren skall tillse att Olof mottas som kanik, personligen eller genom ombud, och att alla inkomster och rättigheter redovisas för honom. Beslutet skall ej hindras av tidigare påvliga medgivanden till biskopen i Strängnäs eller domkapitlet därstädes med flera.

Reg. Aven. 182, fol. 380r-v, Vatikanarkivet.

Förtecknat: Y. Brilioth, *Den påfliga beskattningen af Sverige* (1915), s. 379.

Ang. 'official' som beteckning på en biskops ställföreträdare se GMLS: *officialis* 2 a och KL XII: *Official*, sp. 532 ff.; ang. användningen av titeln i Linköpings stift, se H. Schück, *Ecclesia lincopensis* (1959), s. 295 f. Vid denna tidpunkt torde ärkedjåknen Nils Hermansson varit official i Linköping; om detta se H. Schück, a.a., s. 296 f.

Brevet omnämns i H. Schück, a.a., s. 296 not 86, där ärkebiskop Birger Gregersson anges som möjlig utverkare av bullan.

Olof, kallad "Biruid", är känd endast genom detta brev, vilket noterats i M. Collmar, *Strängnäs stifts herdaminne I* (1977), s. 229.

Dilecto filio officiali Lincopensi salutem et cetera. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica graciosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem felicitis recordacionis Vrbanus papa · v · predecessor noster omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud sedem apostolicam vacancia et inantea vacatura collacioni et dispositioni sue reseruauit decernens extunc irritum et inane, si secus super hijs a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero canonicatu et prebenda ecclesie Strenginensis, quos venerabilis frater noster Birgherus episcopus Vpsalensis tempore promocionis per dictum predecessorem facte de ipso ad ecclesiam Vpsalensem tunc vacantem obtinebat per huiusmodi promocionem et munus consecracionis de mandato eiusdem predecessoris apud eandem sedem impensum eidem apud sedem ipsam, vacantibus dictoque predecessore per eum de dictis canonicatu et prebenda non disposito, sicut Domino placuit, sublato de medio / nos diuina fauente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, cum a nonnullis reuocaretur in dubium, an post dicti predecessoris obitum aliquis preter Romanum pontificem de canonicatibus et prebendis ac alijs beneficiis ecclesiasticis per dominum predecessorem dispositioni sue reseruatis,^a que tempore sui obitus vacabant, disponere potuisset siue posset, ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium per nostras litteras declarauimus huiusmodi canonicatus et prebendas ac beneficia, que sic reseruata tempore obitus dicti predecessoris vacabant,^b ut prefertur, remansisse et remanere per huiusmodi dicti predecessoris reseruacionem et decretum affecta nullumque de illis preter Romanum pontificem potuisse vel posse disponere quoquomodo^c, ac decreuimus irritum et inane quicquid in contrarium a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum erat tunc vel contingeret imposterum^d attemptari. Cum itaque dicti canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur · nullusque preter Romanum pontificem hac vice de ipsis disponere potuerit neque possit reseruacione,^e declaracione et decretis obsistentibus supradictis, nos volentes dilectum filium Olauum dictum Biruid¹, presbyterum Strenginensis diocesis, qui, ut asseritur, carissime in *Christo* filie nostre Margarete regine Swecie jllustris notarius existit, apud nos de probitatis et virtutis meritis multipliciter commendatum horum intuitu fauore prosequi graciosus, discrecioni tue per apostolica scripta · mandamus · quatenus, si post diligentem examinacionem dictum Olauum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscienciam oneramus, canonicatum et prebendam

supradictos sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Olauo auctoritate nostra conferre et assignare procores inducens per te vel alium seu alios eundem Olauum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende ac iurium et pertinentiarum predictorum et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens ipsum vel^f dictum procuratorem pro eo ad eandem prebendam in dicta ecclesia Strenginensi in canonicum recipi et in fratrem stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine iuris canonici assignatis, sibi que de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus et obuencionibus vniuersis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposit[^a]^g compescendo, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Strenginensis contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quauis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, seu si super prouisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in dicta ecclesia Strenginensi speciales vel alijs beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reseruacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione dictorum canonicatus et prebende prefatum Olauum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem canonicatum et prebendarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si venerabili fratri nostro episcopo et dilectis filijs capitulo Strenginensi vel quibusuis alijs communiter vel diuisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel prouisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie Strenginensis vel alijs beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, prouisionem, presentacionem seu quamuis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat prouideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, seu si dictus Olauus presens non fuerit ad prestandum de obseruandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Strenginensis solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestat. Nos enim, prout est, irritum^h decernimus et inane, si secus super hijs a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsitan est hactenus vel contigerit imposterumⁱ attemptari. Datum Auinione · iij · nonas Decembris, anno primo.

^a Rättat från reseruauit ms. ^b Före detta ord överstruket vra ms. ^c quoquo modo ms. ^d D.v.s. in posterum.
^e Härefter överstruket decre (jfr decretis) ms. ^f Härefter bokstav j felskriven ms. ^g postpositus (förkortat pp) ms.
^h Härefter borttaget et inane ms. ⁱ D.v.s. in posterum.

¹ Namnet oklart; möjligen åsyftas Biærgghvidh, lat. Beruidus, se SMP, bd 1, sp. 415.